



E libris  
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. g. 14.

74  
1877-1774

Ad lo  
De 9  
orati  
De Di  
De ratio  
De lo  
De h  
Des i  
Htan  
dyma  
Cataf  
De B  
Ethi  
—  
—  
—  
De  
Ethi  
Geo  
De a  
De p  
De l  
De  
De  
De  
Se  
De  
Nij  
Pho  
De

61  
*QVOD BENE VORTAT*

---

**N I S V M**  
**SAMSONIS SYMBOLVM**

*PRAESIDE*  
**FRIDERICO STRVNZIO**

POES. P. P. ET H. T. ORD. PHILOS  
DECANO

*PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI*  
*SVBICIT*

*A V C T O R*  
**IO. DAVID MATTHAEVS**

HANOVIA SILESIVS  
**LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER**

---

D. XX. DECEMBR. CIOIDCC XXIV  
**IN AVDITORIO MAIORI**

---

*VITEMBERGAE*  
**LITERIS GERDESIANIS**





# N I S V S

## SAMSONIS SYMBOLVM.

---

### I.



Quemadmodum nulla eruditionis  
pars suo caret fine atque utilita-  
te, ita nec sapientia mythica.  
Quae, utut plerisque fabulae no-  
mine, in se bono, et familiarem  
sermonem, uel ad ueritatem effi-  
ctum, denotante, abutentibus,  
exigua uideatur, uel plane nulla, cognitum tamen  
habeo perspectumque, uariam illam esse atque infi-  
gnem. Si animus esset, post tot Homeros Iliadas  
scribere, repeterem, quae de ea uiri docti, uariis in  
scriptis disputarunt. Instituti uero mei ratio non  
A 2 finit,

Taubman-  
nus ad  
Plaut. p.  
III. Exem-  
pla uide  
apud Te-  
rentium  
Andr. IV.  
5. 8. Eu-  
nuch. IV. 4.  
22. Phorm.  
V. 6. 38.

Progr. de  
Fab. Poë-  
tarum.  
Physiol.  
Christian.  
lib. IX. c. II.  
P. 437.

finis, et res ipsa suam sibi causam orare uidetur. Ex fabularum sensu, de earundem quoque utilitate optime iudicabis. In quo definiendo eruditi in partes trahuntur. Alii unicum uolunt, eundemque historicum, quemadmodum *Io. Clericus* Artis Criticae P. I. c. III. §. II. no. 6. p. 104. alii triplicem, historicum uidelicet, physicum, et ethicum, quae *Iac. Thomassii*, ac plerorumque est sententia: rursus alii quadruplicem, uti *Ger. Io. Vossius*: alii denique plures eliciunt, de quibus omnibus erudite differit celeb. *Io. Christ. Vossius*, in diss. de mythica moralia tradendi ratione nou-antiqua. Nos illi subscribimus sententiae, quae triplicem fabularum sensum affirmat, et hos inter historicum eminere, putamus. Quod eo confidentius statuo, quo pluribus nitor argumentis, quo utraque in historia deprehendo ampliorem. Quam ob rem cum de specimine Academico cogitarem, consulto Dn. Praeside, Praeceptore meo, summa animi obseruantia colendo, eodemque auctore et suasore, mecum constitui, in Mythologia historiae cuiusdam sacrae uestigia quaerere, ex eademque demonstrare, aut gentiles de iisdem, quae in ciuitate DEI gesta, aliquid exaudiuisse, aut generis humani hostem, DEI simiam, fraudumque patrem, eiusmodi quid inter eos, per *κωμογενίαν* imitatum fuisse. Bene et sapienter ornamentum huius Academiae, *Fr. Taubmannus*, in Program. quo ad enarrationem Carminis Virgilii, Ciris dicti, Studiosos inuitauit: *Non semel in scholâ nostra dicere me-*  
*mini,*

*mini, me arbitrari in sacris literis paucas historias esse, miraculo praesertim aut mysterio insignes, quas diabolus, cuius sunt artes interuertendi ueritatem, non aemulanter, ut Tertullianus loquitur, affectarit exprimere.* Huic ergo rei eo lubentius meam addico operam, quo maiores in ea duces habeo praeter laudatum Taubmannum, uiros multo doctissimos, *Hugonem uidelicet Grotium, Petr. Dan. Huetium, Io. Fabricium, Eduardum Stillingfletium,* alios sexcentos. Non quidem in ea sum sententia, in qua celeberrimum quendam uirum, uestigia *Clerici* legentem, esse memini, ac si omnia, quae fabulis antiquorum continentur, uerae sint historiae, argumentis, non uero similibus, sed apodicticis, demonstrandae: uestigia tamen in eis inesse, tantum abest, ut negem, ut potius hac mea qualicumque opera sim eucturus. Nec scripturam his talibus confirmari, per se ipsam satis confirmatam, et immotae aeternaeque ueritatis, existimo, praeparari tamen his posse homines, non dubito, qua ratione, *Eusebium Pamphili* in praeparatione Euangelica, et plures alios, qui de ueritate religionis Christianae scripserunt, uersatos esse, nouimus. Quod si hoc etiam sine exciderem, iuuat tamen docere, quam miris miserisque modis cacodaemon deluserit gentiles, hominum miserrimos. Quomodo isthaec, si abusus absit, culpari possint, equidem non uideo. Ut uero, quid apud animum meum deliberatum habeam, constitutumque, protinus edisseram, placuit illam

Ad Iudic.  
XVI. u. 17.  
ad Iudic.  
XVI. u. 19.

Chil. II.  
Hist. 37. regi  
Σαμψων

de *Samsonis* capillis, historiam, in *Niso*, Megarensum rege, deprehensam, inquirere. Viderunt eam iam tum *Grotius*, *Junius* et *Tremellius Taubmannus* in Programmate laudato, *Thomas Galeus* in Notis ad Apollodori lib. II. p. 44. ad p. 93. lin. 29. *Huetius* demonstrat Euangel. Propos. IV. c. XIV. no. VI. p. 336. edit. Lipsiens. et quem primo loco nominare debueram, *Joannes Tzezes*, in Chiliadibus. Haud ita pridem celeberr. *Io. Henr. Maius*, filius, Observationum sacrarum libro IV. p. 22. ad Iud. XVI. 17. hanc *Samsonis* historiam cum *Niso* ex instituto conferre ausus est. Ne quis uero putet, uanam inde et inutilem me suscipere operam, actumque agere, sciat, doctissimum *Maium*, uix unum aut item alterum attulisse argumentum: nos uero data opera, et, quoad eius fieri poterit, quam diligentissime, rei huius momenta excutiemus. Qua in re me ita tractabo, ut collata utrinque historia, ex scriptoribus Graecis pariter, ac Latinis, tum Poëtis, tum Historicis, similitudines colligam, ex iisdemque *Samsonis* cum *Niso*, atque eorum, quae rem utrinque circumstant, conuenientiam, utut rationibus tantum probabilibus, commonstrabo. Faxit DEVS feliciter!

II. *Samsonis* et *Nisi* nomen, si recte rem inspicias, est idem. Ad *Samsonis* quod attinet, deriuatur a radice שָׂם, ministravit. Cum uero seruorum ea sit conditio, ut, ad superandos labores, robustos esse oporteat, facile patet, id nominis in *Samsonem*, hominem, uiribus maxime ualentem, optime quadrare. *Matthias*

*thias Hillerus* a uoce שש, quae solem notat, *Sam-*<sup>In Ono-  
mast. Sz-  
cro.</sup>  
*sonis* nomen ortum esse, putat. Cui accedere ui-  
detur *Seb. Schmidius*, qui a splendore solari, in quo  
apparuit Angelus, Manoah filium praedicens, *Sam-*  
*sonem* dictum, coniicit. Enim uero, ut taceam, hac  
ratione nomen haud conuenire cum re, ipso, puta,  
*Samfone*: id tantum obseruo, τὸ שש generatim et  
ui etymi etiam ministri notionem inuoluere. Con-  
firmat praeter ea meam sententiam *Iosephi*, genere  
Iudaci, addo, Sacerdotis filii, hebraicarum ergo lite-  
rarum haud dubie peritissimi, auctoritas, qui lib. V.  
Antiquit. Iud. p. 160. *Samsonis* historiam recensens,<sup>Editionis  
Lipfient</sup>  
καὶ γενόμενον, inquit, τὸ παιδίον Σαμψῶνα καλεῖσθαι.  
ΙΣΧΥΡΟΝ δὲ ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Nunc uidea-  
mus quoque de *Nisi* nomine. Hoc, cum Graecia nos  
destituat, ex Hebraeis originibus repetimus. Est  
uerbum שש, quod in Kal non adhibetur, in Hiphil  
uero ששׁ significat effloruit, unde τὸ *Nisus* descen-  
disse uidetur. *Nisus* ergo idem est, quod floridus,  
hoc est, luuenis, hoc, est fortis. his enim secundum  
Poëtam

- - - integer aeni

*Sanguis solidaeque suo stant robore uires.*

III. In utriusque Parentum Nominibus similitudo  
reperitur. *Samson* patre usus est Manoah, ex tribu  
Dan, loco forte haud ignobili, oriundo, Iudic.  
c. XIII. 1. Non est, ut multus sim in euoluenda no-  
minis huius origine, cum τὸ שש quietem, requiem,  
significare apud Lexicographos, res sit expedita.  
Fluit

Aeneid. II.  
v. 539.

Fluit ex τῷ ην, quod quiescere notat, requiescere, quiete se continere, residere, cessare, desinere. Dicam nunc de *Nisi* patre. Huic *Pandion* nomen erat, quem non confundendum esse, moneo, cum *Pandione I*, regum Atheniensium V. De nostro Euripidis enarrator, *Nis* & inquit, καὶ Πάλλας καὶ Ἀργεὺς, addo ex Aristophanis enarratore ὁ Λύκος, τρεῖς ἀδελφοὶ ἐκ Πανδίων & *Apollodorus* lib. III. Bibliothec. c. 14. §. 8. p. 235. Megara dicit capta, *Nis* βασιλεύοντι & τῷ Πανδίων &. Recte itaque *Meursius*, consensu antiquitatis Graecae nixus, lib. II. de Regibus Atheniensibus, c. 15. *Hyginum* emendat, qui, Fab. CXCVIII. *Nisum* Deionis filium dicit. Similitudinem nominis cum *Manoah*, *Samsonis* parente, in eo quaero, quod Πάνδιον idem sit quod Luna. Hinc festus dies, Lunae sacer, atque πάνδια dictus, ab antiquis memoratur. *Vlpianus* Demosthenis interpres, in oratione contra Midiam, p. 154. ad uerba: πάνδια δὲ, inquit, οἱ μὲν διὸς ἑορτὴν ἐγνόμισαν, οἱ δὲ πάνδιαν τὴν σελήνην νομίζουσιν. *Harpocration* uoce πάνδια, (legitur per ei, emendauit autem *Valesius* in annotat. ad *Harpocrat.* p. 148.) ἑορτὴ τις ἀθήνησι, μετὰ διονύσια ἀγομένη. Consentit *Hesychius* hac uoce. conf. *Meursius*, Fer. Graec. Quid uero Luna aliud, quam noctis et quietis symbolum. Hac enim, quod diurno tempore uigilabat, ην quiescit, requiescit, suo in loco se quiete continet, residetque, et a labore cessat.

IV. *Samson* et *Nisus* eiusdem fere dignitatis fuerunt. *Samson*. eorum in numerum refertur, quorum

In Hipp. ad  
u. 35. Edit.  
Barnes.  
edit. Kü-  
steri p. 530.  
Edit. Th.  
Gale.

Thef.  
Gron.  
Tom. IV.  
p. 1095.

Edit.  
Basilicenf.

T. VII.  
Thef.  
Gron.  
p. 834.

rum natales diuinitus praedicti sunt. Cuius causam diuinæ literæ hanc tradunt. Postea quam delectus DEI populus XL annos Philistæis subiectus, multis haud dubie, horum sub regimine, ad hoc tempus calamitatibus fuerat oppressus, DEVS de liberando hoc suo populo cogitat, eidemque *Samsonem*, parentibus ob id promissum, multisque donis, excellentibus corporis præsertim viribus, supra naturæ vires positus, ornatum, patriæ dat liberatorem, extra ordinemque principem ac reipublicæ defensorrem. Quam dignitatem proxime ad regiam accessisse, penes me nullum est dubium. Nolo quidem cum *Iosepho* Iudices, quos inter *Samson*, ἀρχοντας et μονάρχες appellare, cum *Θεοκρατία*, quam tamen ipse agnoscit *Iosephus*, Aristocratiam aequæ ac Monarchiam plane excludat. nec cum *Petr. Cunaeo*, uiro ἀρχαιολογίας alias peritissimo, cum dictatoribus Romanis comparo. Hi enim, uti recte annotat diligentissimus *Cunaei* commentator, *Io. Nicolai*, uere regia omnia habebant, tantum potestas eorum tempore erat circumscripta: id tamen affirmo, Iudices quandoque reges appellatos fuisse, quamuis regibus potestate inferiores essent, quemadmodum innuunt loca Iudic. XVII. 6. & XVIII. 1. Quod nomen eis conuenire κατὰ νόμον (seu ἀναλόγως) ex *Aristotele* obseruat, magnus *Conringius* de Re-  
 publ. Hebr. p. 136, ubi de Iudicum dignitate fuse exposuit. Gentiles certe, hos illos Iudices sine dubitatione reges fuisse, existimarunt, Θεοκρατίας

Iud. XIII.  
et XV. u.  
ult.

Ἀρχαιολ.  
lib. XI. c.

IV. p. 367.  
edit. Lips.

et. alibi.

Κατὰ Ἀντί-  
στού. lib. II

p. 1071.

De Republ.

Hebr. lib. I.

c. XII.

p. 102. edit.

Amstel.  
recentiss.

loc. cit.

Polit. III.

c. X.

Edit.

Helmst.

anni 1675.

quæ<sup>4t.</sup>

quae inter Iudaeos obtinebat, ignari. Quod elegans mihi praebet argumentum, *Samsonem* cum *Niso*, qua dignitatem, fere convenire, hunc enim, quem a *Niso* illo, Euryali amico, de quo *Virgil* Aen. IX. 467. distinctum uolo, regem fuisse Megaridis, magno consensu Scriptores perhibent. Atribam locum, Historici fide digni, *Straboni*, lib. IX. p. 392.

Edit. Al-  
melouen.

ὅτε δὴ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες πολλὰ διαφονέν-  
τες, τῶτόγε ὑμολογεῖσιν, ὅγε λόγος ἀξιοί, ὅτι τῶν  
Πανδιονιδῶν τεσσάρων ὄντων, Ἀγέως τε καὶ Λυκῆ,  
καὶ Πάλλαντος, καὶ τετάρτου ΝΙΣΟΥ, καὶ τῆς Ἀττι-  
κῆς εἰς τέτταρα μέρη διαμετρήσεως, ὁ ΝΙΣΟΣ τὴν  
Μεγαρίδα λαχοί, καὶ κτίσας τὴν Νίσσαν. Addo  
testimonium *Pausaniae* in Atticis siue lib. I. c. 29.

Edit. Küh-  
nii.

p. 94. seq. Ἐλευσίνι δὲ ἤδη πλησίον χωρὶς καλεμένη  
Μεγαρίς, τῆς Ἀθηναίων ἦν καὶ αὕτη τὸ ἀρχαῖον,  
Πύλα τῷ βασιλέως καταλιπόντι Πανδίον.  
Μαρτύρια δὲ μοι ἰάφ' ἵε Πανδίωνος ἐν τῇ γῇ, καὶ  
ΝΙΣΟΣ Ἀγέῃ μὲν πρεσβυτάτῳ τῷ παντός  
γένους παραχωρήσας Ἀθηναίων ἀρχεῖν, αὐτὸς δὲ  
Μεγαρίων καὶ τῆς ἀχρὶ κορινθίων βασιλεύειν ἀξιω-  
θεῖς. Νίσσῃ δὲ ἐτι καὶ νῦν μεγαρεῦσιν ἐπίκειον

Edit. Küh-  
neri.

ἀπ' αὐτῆς καλεῖται. Consentit Enarrator *Aristo-  
phanis* p. 321. in *Vespis*, τὴν χώραν, inquit, τὴν δια-  
κρίαν Πανδίωνά φασι, τοῖς υἱοῖς διανεύματα, τὴν ἀρχὴν  
Λυκῷ δέναι, Ἀγέῃ δὲ τὴν περὶ τὸ αἶψα Πάλλαντι  
δὲ τὴν παραλίαν. ΝΙΣΩ δὲ τὴν Μεγαρίδα. Idem  
habet *Scholias* *Euripidis* in *Hippolyto* ad u. 35 ὁ ΝΙ-  
ΣΟΣ τὰ Μέγαρα ὥκει. Ex his, *Nisum* regem Mega-  
rensum fuisse, constat. Iuvat hoc loco quaedam  
de

Edent.  
Barnesio.

de eius regno afferre. Hoc continebatur urbe Megaris, eiusdemque nauali Nisaea. *Stephanus Byzant.*

Μέγαρα, πόλις περὶ τὸν ἰσθμὸν μέσῃ πελοποννήσῃ <sup>Περὶ πό-</sup>  
καὶ Ἀττικῆς, καὶ βοιωτίας. ἧς ἐπικρεῖον ἡ Νίσαια. <sup>λεων ὠκε</sup>  
<sup>μεγαρχ.</sup>

Addit originem denominatae regionis: ἐκλήθη δὲ  
ἐπὶ Μεγαρέως τῷ Ἀπόλλων<sup>ῳ</sup>, ἢ τῷ Ἀργεῶς τῷ  
Πανδίων<sup>ῳ</sup>, τῷ Ἐρεχθεῶς, τῷ Ἡφαιστ<sup>ῳ</sup>. Regionem  
hanc CXL. stadiorum fuisse, docet *Scyllax Cary-* <sup>Legitur in</sup>  
<sup>Geogra-</sup>  
andensis, in Periplo, uoce Μεγάρα, ἀπὸ δὲ τῆς <sup>phis an-</sup>  
Κορινθίαν χώρας, inquit, Μεγάρα πόλις ἐστὶ, καὶ <sup>tiquis, ab</sup>  
Λιμὴν καὶ Μεγαλα (emendat Gronouius Νίσαια) <sup>Iac. Gronouio edi-</sup>  
τεῖχ<sup>ῳ</sup>. Παράπλευς δὲ τῶν Μεγαρέων χώρας μέγχι <sup>tis.</sup>  
Ἀπιδ<sup>ῳ</sup>, ἐστὶ γὰρ ἔτ<sup>ῳ</sup> ὄρε<sup>ῳ</sup> τῶν Ἀθηναίων χώρας,  
σαῖδοι ῥμ. Illustrarunt urbem celebratissimi uiri,

quos inter Mathematicorum Parens, Euclides, et  
Gnomographus poeta, Theognis. nec ingloria est  
Philosophorum Schola, quae ibidem olim floruit, a  
qua Megarici dicti. Est haec illa urbs, cuius ruina  
consolatur *Ser. Sulpicius*, *Ciceronem*, mortem filiae  
lugentem, lib. IV. Epist. *Cicer. epist. Vta.* Multam  
eius ciues lanæ operam dederunt, quod facetum il-  
lud *Diogenis*, Cynici putā, apud *Laërtium* innuere  
uidetur dicterium, qui, cum uidisset eos magis <sup>In uita</sup>  
<sup>Diogenis</sup>  
oues curare propter lanam, quam filios, hos enim <sup>L. VI.</sup>  
nudos, illas pellibus tectas, deprehendit, dixisse fer-  
tur: λυσitteλέστερον ἐστὶ Μεγαρέως εἶναι κριὸν, ἢ υἱόν.  
<sup>Segm. 41.</sup>  
<sup>edit. Me-</sup>  
<sup>nagianae.</sup>

Ad Nisaeam quod attinet, non confundendum est na-  
uale, de quo dicere ingressus sum, cum arce nobili  
Megarorum, eiusdem quod nominis fuit. utrumque

a *Niso*, nomen accepit. *Stephanus* uoce Νισαία ex *Suida*, Νισαία ἐπίνειον Μεγαρίδ<sup>ος</sup>, καὶ αὐτὴ ἡ Μεγα-  
 ρὶς ἀπὸ Νίσ<sup>ος</sup> τ<sup>ῆς</sup> Πανδίων<sup>ος</sup>. confirmat *Scholias*tes  
*Theocriti* ad εἰδύλλ. XII. u. 27. ὠνομάσθησαν δὲ, scilicet  
 οἱ Νισαῖοι ἀπὸ ΝΙΣΟΥ τ<sup>ῆς</sup> Πανδίων<sup>ος</sup>, et *Pausanias*  
 in Atticis C. XXIX. p. 95. Νισαία τε ἐτι καὶ νῦν  
 μεγαρεῦσιν ἐπίνειον ἀπ' αὐτ<sup>ῆς</sup> uidelicet ΝΙΣΟΥ, κα-  
 λεῖται. *Pausanias* loco dato, sua adhuc aetate no-  
 men hoc seruasse, scribit. Dicti autem sunt Nisaei  
 quoque Megarenses, teste laudato *Enarratore Theo-*  
*criti* ad εἰδύλλ. XII. u. 24. Νισαῖος, inquit, τ<sup>ῆς</sup> πρὸ τ<sup>ῆς</sup>  
 Ἀττικ<sup>ῆς</sup>. ἐπίνειον γὰρ Μεγαρέων ἡ Νίσα. ἀφ' ἧς Νι-  
 σαῖοι καλεῖνται οἱ Μεγαρεῖς. Quod inde factum,  
 puto, tum quia et Megara et Nisaea *Nisi* erant, ni-  
 hil enim frequentius apud antiquos est, quam re-  
 giones ab earum dominis appellare, quemadmo-  
 dum Sicyoniorum regnum in Peloponneso ab Ae-  
 gialeo, Aegialeae, a Sicyone, Sicyoniae nomen for-  
 titum est, referente *Pausania* in Corinthiacis, tum  
 uero, quia longis muris coniuncta, teste *Thucy-*  
*dide* lib. I. Καὶ τὰ μακρὰ τέχνη ὠκοδόμησαν μεγα-  
 γεῦσι (scil. Ἀθηναῖοι) τὰ ἀπὸ τ<sup>ῆς</sup> πόλεως εἰς Νί-  
 σαιαν. Quae causa fuit, cur *Ptolomaeus* Nisaeam  
 cum Megaris confuderit, obseruante *Palmerio*, in  
 notis ad *Strabonis* lib. IX. p. 392.

V. *Samson et Nisus*, σύγχρονοι. Audaculus  
 forte uidebor, qui horum tempora coniuncta uo-  
 lo. Equidem non nescio, me in re subdifficili uer-  
 sari: tentabo tamen, atque, ubi chronologicae me  
 ratio-

rationes destituent, ex iis petam, quae rem circumstant. *Samsonis* aetas certa est atque firma. Secundum diui *Lutheri* computandi rationem natus est A. M. 2791. obiit supremum diem A. M. 2810, ante C. N. 1161, consentit Silesiae meae decus *Abrab. Bucholzerus*. *Sethus* autem *Caluissius* mortem ad annum Mundi refert 2830. Mitto haec, quippe extra controuersiam posita, & de *Nisi* aetate dispiciam. Laudatus *Caluissius*, Pandionis II, Atheniensium regis octauī, aetatem refert ad an. M. 2694. ante C. N. 1299. Quo cum conuenit computatio *Theodori Ryckii*, in canone chronico, quem adiunxit dissertationi de primis Italiae colonis, p. 404. utrumque legitur insertum *Lucae Holstenii* notis et castigationibus posthumis in *Stephanum* de urbibus, qui *Theodorus* Pandionem uixisse dicit anno ante Olympiad. 533. Period. Iul. 3405. Sec. VI. A. M. 2669. Deinde secundum *Caluissium* Aegeus, Filius Pandionis natu maximus, floruit anno Mundi 2674. qui, secundum eundem 48. annos regnauit, adeoque A. M. 2722. mortuus est. Minoen uero, Cretensium Regem, qui *Nisum* oppugnatum iuit, A. M. 2699. uixisse contendit idem. ex quo consequitur, *Nisum* secundum hunc quidem computum, centum fere ante *Samsonem* annis degisse. Sed enim uero, utcumque haec se habeant, non possum tamen non in mea persistere sententia, *Samsonem* et *Nisum* eiusdem fuisse aetatis, uel hanc ob causam, quod inde sequeretur, spiritum infernum, centum ante annis,

In Isagoge  
Chronol.

ea apud gentiles luisse, quae apud Dei populum facta, nouimus. Atque si cogitemus, quam incerta sit fabulosae aetatis ratio, in qua definienda eruditi plerumque frustra laborarunt, eo facilius hoc idem centum annorum spatium, quod *Samsonis* inter et *Nisi* tempora intercedit, sublatum iri, puto. Tzezen certe, *Grotium*, caeterosque doctissimos Viros, supra memoratos, qui, *Nisum Samsonis* Symbolum esse, statuunt, ita fuisse arbitratos, penes me nullum est dubium.

VI. *Samson et Nisus, uno eodemque roburis signo utebantur, uidelicet capillo.* Audiamus ipsum *Samsonem*, qui suum hoc mysterium ita enunciat: *Abscisis*, inquit, *septem capitis cincinnis*, robore me meo spoliatum, scias. Dicit septem cincinnos, hoc est, interprete Tremellio, totum capillamentum, uti indicat u. 17. numerus finitus, pro infinito. Capillus uero hic, quoad integer mansit, certissimum, nondum amissi roboris, signum fuit. Non quidem putandum est, ac si in eo resederit corporis firmitas: sed quia Deo deuotus, uti infra dicam, abstinentum ei erat, ab omni capitis tonsura. Idem in *Niso* obseruandum. Hic enim quoque eiusmodi capillo insignis fuisse dicitur, quod scriptorum testimoniiis confirmatum dabo. Ante uero, quam id faciam, obseruo, eos neque in capillorum numero, nec in colore, conuenire, utut res, si recte inspicias, eodem redeat. Ita unum tantum crinem e medio *Nisi* capite surrexisse, quidam tradunt. Ex graecis  
Apollo-

Iud. XVI.  
19.

*Apollodorus*, de *Niso* exponens, ἔχοντι γὰρ, inquit, *Bibliothec.*  
 αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα, τὰν *lib. III.*  
 τῆς ἀφαγεθείσης τελευτᾶ. Et *Enarrator Luciani* *p. 235.*  
*p. 16.* ὁ Νίσος, βασιλεὺς ὢν, ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς *Ad libr. de*  
 μίαν τρίχα πορφυράν. Idem affirmat ex Latinis, *Sacrificiis,*  
 qui a graecis acceperunt, *Maro* in elegantissimo car- *p. 370. edit.*  
 mine, *Ciris* dicto, quod cecinit *Megaris*, motus me- *Amstel. 8t.*  
 moria rei et loci, de *Nisi* capillo ita canens: *u. 120.*

*Nam capite a summo Regis, mirabile dictu*  
*Candida caesaries florebat tempore longo,*  
*Et roseus medio surgebat uertice crinis.*

Et *Quidius* *Metamorph. lib. VIII. u. 8. 1q. de Niso:*

- - - - cui splendidus Ostro  
*Inter honoratos medio de uertice canos*  
*Crinis inhaerebat.*

Addo denique *Hyginum*, qui pariter est eiusdem  
 sententiae *Fab. CXCVIII.* Quis uero non uidet  
 haec fabulam redolere, et unum crinem pro toto  
 capillo dici? Alii *Niso* cincinnos tribuunt. Ita  
*Euripidis* *Interpres*, καὶ ἦν ὁ Νίσος, ὅς ἔχε *in Hipp. ad*  
 χρῆσθαι πλόκαμον. Πλόκαμος uero, a πλέκω, *u. 1200.*  
 necito, crines notat, ingenio suo flexos. Ita  
*Niso* hoc etiam cum *Samson*e commune fuit, quod  
 cincinnos habuerit. Qui ramen pro toto capillo in-  
 telligendi, uti in *Samson*e, quod supra monui, ita et hic  
 in *Niso*. *Pausanias*, abiecto omni fabularum inuolucro *in Atticis*  
 diserte, ἐς τῶτον τὸν ΝΙΣΟΝ inquit, ἔχει λόγος, τρι- *c. 19. p. 44.*  
 χας ἐν τῇ κεφαλῇ οἱ πορφυράς εἶναι. Solent pi-  
 ctiores,

ctores, *Samsonis* capillos nunc rubros, nunc flavos pingere. Ita Poëtae, qui cum pictoribus commune habent et fingere et mentiri, *Nisi* capillos nunc purpureos fingunt, nunc aureos. *Apollodorus*, *Interpres Luciani*, et *Pausanias* laudatis locis, *Πορφύρεον τρίχα* nominant, *Euripidis* autem *narrator* loco supra adducto *χρησέν πλόκαμον*, quibus addo Latinos supra laudatos, quos inter *Maro* roseum crinem appellat, *Ovidius* autem splendidum. Non quidem me fugit, Poëtas quoque purpureum et aureum dicere, quod splendidum est atque excellens: puto tamen eos hoc loco magis ad colorem crinim respexisse.

VII. *Samsoni et Niso, cum Capillo diuinitus ro-*  
*bur concessum.* De *Samfone* Sacrae literae referunt,  
 DEVM, angelo interprete, praedixisse, *Samsonem*  
 fore Naziraeum. Quae, cum ita sint, leges quo-  
 que, Naziraeis latae, *Samsoni* obseruandae erant.  
 In quibus haud postrema, intermissa capitis tonsu-  
 ra: quam, si negligeret, se omnibus, quibus orna-  
 tus erat dotibus, spoliatum iri, acceperat, consen-  
 te ipso Iudic. XVI. 19. *Nisi* pariter comparata sic  
 erat ratio. Quem Naziraeum dicere, ex cacodaemo-  
 nis quidem sententia gentiles, si non nomine, re  
 tamen deludentis, nefas esse haud puto. Etenim  
 uti Naziraei gaudebat dotibus, ita huius quoque  
 legibus tenebatur. Vtrumque, et capillum, et de  
 eo conseruando legem, quemadmodum *Samson*, a  
 Numine acceperat. *Pausanias*, de *Niso*, *XPHNAI*  
 δὲ

Iud. XIV. i.

Vide Re-  
landi An-  
tiquit.  
Hebr. P. II.  
c. X.In Attic.  
p. 44.  
p. 16.

δὲ αὐτὸν ἐπὶ ταύταις ἀποκαρείσαις τελευτᾶν. *Luciani enarrator* de eiusdem *Nisi* capillo: ἥς ἀποτμή-  
 θείσης, ΑΝΑΓΚΗ ἦν ἀπολέσθαι τὴν πόλιν, ἥς  
 ἐβασίλευεν. *Hyginus* *Fabula* saepius laudata, de  
*Niso* exponens, addit: huic responsum fuisse, tam  
 diu eum regnaturum, quamdiu crinem custodisset.  
 Consentit *Servius*, ad *Virgil. Bucol. Eclog. VII.* Nam  
 illam (comam) inquit, ita habuit *Nisus*, ut tamdiu  
 regno potiretur, quamdiu haberet intactam.

VIII. *Samson* et *Nisus*, amoris meretricii occasio-  
 ne, quamvis diuersa ratione, capillum suum amise-  
 runt. Fecerat ad hoc tempus *Samson*, *Naziraeo*  
 digna, atque, multis fortitudinis speciminibus edi-  
 tis, *Philistaeos*, gentis suae hostes infensissimos,  
 egregie depexos dederat. Jam uero uirium suarum  
 conscius, ac nimis confidens, amore meretricio,  
 iterum iterumque irretiri sese patitur, adeo, ut  
 foedus, cum DEO ictum, uiolaret, suisque se pri-  
 uaret bonis, robore, libertate, uita, et, quod primo  
 nominare loco debebam, DEI gratia. Primo *Ga-  
 sae* glycerium quoddam uidet, et, ut sunt oculi,  
 secundum Poëtam, in amore duces, eandem per-  
 dite amat, immo cum ea rem habet, ita, ut ca-  
 pitis periculum, quod ei a *Philistaeis* imminebat,  
 uix ac ne uix quidem declinare possit. *Judic. c. XVI,*  
 1. Quibus illecebris illectus pergit amori huic me-  
 retricio dare operam, in mulieremque, fundi sui  
 calamitatem, incidit, cui *Delilae* nomen. *Phili-  
 staei*, tot tantisque plagis affecti, *Samsonem*, ho-  
 minem

minem unum, multis millibus robustiorem, quia ui superare non possunt, dolo adoriri decernunt. Ita ut sit, dolo pugnant, qui pares non sunt uiribus. Qua in re egregiam sibi praestare operam in animum inducunt *Delilam*, scortum ad malitiam doctum, et inprimis auarum. Obscrant, obtestantur, hanc iniret gratiam, sibi gentique suae salutarem, atque expiscaretur sedulo, quae tandem stupendae corporis firmitatis sit causa, quae conseruandi ratio. addunt precibus munera, multo locupletissima. quid multa? accipit, adit *Samsonem* precibus, instat, urget, exquirat. Hic uero, perspicax, astutiam astutia reprimat, fallam, semel, iterum, tertium, allegat causam. Quam ubi intelligit *Delila*, per amorem obtestatur, ut, toties delusam, ne deluderet amplius. At mortuo uerba facit. Quid ad haec pertinacis malitiae mulier? Rogando adeo obtundit aures *Samsoni*, ut defatigatus precibus, uel inuitus, quod reticuerat, ei plane edicat mysterium. Quibus factis, somno sopito capillum abscindit. *Judic. c. XVI. 4.* sequentibus. Belle haec cum *Nisi* historia conueniunt, praeter pauca, quae ab illa *Samsonis*, hinc in personis, hinc in iis, quae rem circumstant, defleunt. Quis enim nescit, in fabulis personas, sexum, aetates, alia, saepe mutari? Videlicet, quod sacra in historia *Delila* amore simulato fecerat, id *Scyllam*, *Nisi* filiam, *Minois*, *Cretensium* regis, parentis hostis amore captam, fecisse traditur. *Pausanias* loco saepius laudat-

in Attic. c.  
XIX. p. 44.

dato, ἐνταῦθα τῷ Νίσι λέγεται θυγατέρα ἔρα-  
 θῆναι Μίνω, καὶ ὡς αἰνεῖται τὰς τρεῖς τῷ πατρί.  
*Euripidis Interpres*, ἡ δὲ θυγάτηρ αὐτῆς, scilicet in Hipp. ad  
 Νίσι, Σκύλλα, θεωρήσασα τὸν Μίνα, ἐφίλησεν v. 1200.  
 αὐτὸν, καὶ συνετάξατο αὐτῷ προδῆναι τὴν πόλιν,  
 εἰ λάβοι αὐτὴν γυναῖκα. Οὐδὲ συνέθετο καὶ παρα-  
 γνομένη τέμνει τὸν τεκόντος τὸν πλόκαμον. Ergo,  
 uti Philistaei *Samsonem* propter suorum caedem  
 adorti sunt, ita Minos *Nisum* propter Androgei,  
 Filii caedem, adoriebatur. Et, quemadmodum  
*Samson* cum gente sua *Delilae* fraude in Philistaeo-  
 rum potestatem uenit: ita *Nisus* et regnum eius  
 in Minois, *Scyllae*, *Nisi* filiae, fraude. Nimirum  
 Minos obsidione cingebat urbem Megaram, *Nisi* re-  
 giam, ob rationem datam, frustranea uero erant  
 omnia eius molimina, quoad saluus esset *Nisi* capillus.  
 Haec dum aguntur, forte fortuna *SCYLLA* murum  
 ascendit, delectandi gratia, propter lapidem uocalem,  
 qui *Apollinis* citharae positus, sonitum adjecerat. Haec  
 ut animaduertit *Minoën*, urbi assidentem cultu regali,  
 bellicisque rebus interessē, pulchritudine ejus exarsit.  
 Et cum potiendi nullam uiam inueniret, ut uictorem  
 hostem faceret gloriosorem, crinem purpureum patri  
 abscidit. Haec iisdem uerbis narrat *Lactantius Pla-* Fab. I. lib.  
*cidius*, in narrationibus Fabularum. Plura sunt, VIII.  
 quae utriusque historiae conuenientiam ostendunt.  
 Quemadmodum *Samson* de robore suo certus, hosti-  
 um machinationes risit, ut etiam somno se daret, at-  
 que quieti, ita *Nisus* quoque capillo suo nixus,

Tab.  
CXCVIII.

nihil timens Minois molimina, secure dormiebat. Quemadmodum uero *Samson* dormiens crinem amisit, ita quoque *Nisus*, quod diserte tradit *Hyginus*. Quemadmodum denique *Samson* cum capillo robur ac libertatem perdidit: ita *Nisus* etiam regnum et libertatem. Hinc crinis eius *Hygino*, dato loco, dicitur fatalis, et *Lactantio Placidio* crinis, quo fata patriae continebantur. add. *Pausanias*, l. c. *Virgilius in Cire*, *Ovidius* lib. VIII. *Metamorph.*

IX. *Mulierum Nomina, quae capillum furatae sunt, itidem amice conspirant.* Ac *Delila* quidem *Samsonis* calamitas, nomen habet ab Hebraeo  $\text{דלילה}$  quod in Niphal notat eleuatus, exhaustus, attenuatus est. Quod si in Kal esset in usu, significaret attenuare, exhaurire. *Scylla* uero, *Nisi* filia parentis sui exitium, a  $\sigmaκυλλαν$ ,  $\sigmaκυλλαν$ , nomen accepit, quod defatigare, uexare est. Utriusque nomen, meretricis conditionem atque indolem luculenter indicat, quippe quae corporis uires fatigant et exhauriunt, rem quoque familiarem ac fortunas uexant, emungunt, atque attenuant. Inde est, quod antiquis cruces dictae, *Terentius Eunuch.* II. 3. 91. adde *Plautum Aul.* III. 5. 48. de meretrice, aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat. *Heraclitus*, de incredibilibus, fabulam fuisse apud ueteres, narrat, *Scyllam*, praeternauiantes exedere, quod de insulari scorto explicat,  $\eta\gamma\delta\epsilon$ , inquit,  $\alpha\upsilon\tau\eta\ \nu\eta\sigma\iota\omega\tau\eta\varsigma\ \kappa\alpha\lambda\eta\ \epsilon\tau\alpha\iota\rho\alpha$ . Scio, *Heraclitum*, laudato loco, de *Scylla*, marino monstro, loqui, ad nomen *Scyllae*

περὶ σκυλλαν  
λυσ. 3. pag.  
69. Col-  
lect. opusc.  
mythol.  
Th. Gale.

*Scyllae* mihi alludere uidetur, atque significare, hoc eodem nomine, scorta apud antiquos haud infrequenter uenisse.

X. *Uterque et Samson et Nisus, αὐτόχρη.* *Samson*, mortalium robustissimus, iam robore amisso, amissis etiam oculis, in extrema uersabatur calamitate. Hostes enim captiuum in pistrinum dederant. Inter ea temporis haud dubie ad frugem rediisse *Samsonem*, seriaque poenitentia, foedus, sua ipsius culpa, interruptum, cum Deo restaurauisse, ex eo colligo, tum, quod capillus detonsus in carcere denuo creuerit, tum uero, quod, fuis ad DEVM precibus, robur paulo ante mortem sibi redditum senferit. Factum autem est, ut Philistaeorum principes, festo quodam die *Samsonis* memores, huiusque ob casum deastrum suum celebrantes, animi causa, ex carcere, ad suas eum solemnitates euocarent, tum, ut omnes eius formam cognoscere possent, qualis esset, quem tamdiu tamque ualde timuissent, tum, ut haberent in eo, quod riderent. Adeo ille, qui tot tantisque stragibus editis, Philistaeos terruerat, uel pueris ac mulierculis lusus factus est et iocus. Hic uero, diuinitus instinctus, in uindicandam uel in morte patriae libertatem, prehensis, quibus innitebatur, templi columnis, totam domum ruinae dabat, ac Philistaeis quam plurimis exitium afferebat, ut mortuus plus nocuisse, quam uiuus, uideatur. Instituti mei ratio non est, disquirere, quid de *Samsonis αὐτοχρη* habendum sit.

in diff.  
Simfon αὐ-  
τοχρησίας  
absolutus  
Vitemb.  
1698.

uoce Νι-  
σάα.

fit. Absoluit eum ab hoc crimine *B. Roebrensaecus*, alii, quorum amplecti sententiam, ob rationes graues, nulli dubitamus. Potius, qualem *Nisus* uitae habuerit exitum, docebo. Hic, eadem, uti *Samson*, ratione, amisso capillo, in hostium potestatem uenerat, immo etiam de folio depellebatur. Utrumque tradit *Hellanicus* apud *Steph. Byzantium* ἐν ἱερῶν δευτέρῳ καὶ Νισάαν εἰλεῖ inquit, scilicet, Μήως, καὶ Νίσον τῷ Πανδίωνος, καὶ μεγάρεά τὴν Ὀρχήσιον. Quo maectatus infortunio, infelix *Nisus*, omnemque sibi spem ademptam ratus, suis sibi manibus mortem consciuit. *Hyginus* de iis, qui semetipfos interfecerunt. c. ccxlii *Nisus*, inquit, *Martis*, rectius *Pandionis* filius, crime fatali amisso, ipse se interfecit. Generis humani hostis fraudem inde obserues, qui, uti immolatione *Isaaci*, quam apud gentes plurimas, *Phoenices* praesertim, execranda ἀνθρωποθυσία secuta est, ita *Samsonis* quoque abusus exemplo, non unum, sed innumerabiles ad αὐτοχρησίας scelus adduxit. Caeterum, quae de *Nisi* in auem conuersione, *Haliaeetum* dictam, hoc est, aquilam marinam, de qua *Plinius lib. X. c. 3. H. N.* quae *Scyllam* in cirin, itidem auem, mutatam, infesto odio persequatur, scriptores narrant, fabulosa sunt, neque adeo attendi merentur.]

IOAN.

# IOANNI DAVIDI MATTHAEO

LL. ART. MAGISTRO

INDVSTRIÆ VIRTVTIS ATQVE ERVDITIONIS

LAVDE COMMENDATISSIMO

S. P. D

FRIDERICVS STRVNZIVS

POES. PROF. PVBL

ATQVE H. T. ORDIN. PHIL

DECANVS

**N**on paucos fore eruditorum, crediderim, qui,  
binas Tuas legentes dissertationes, quas in-  
dustria Tua et doctrina conscripsisti ita, ut  
parum aut nihil a me addi potuerit, illud  
statim ueterum Tibi accinent: τῆτο μὲν, ἔδὲ Κά-  
τωνος λέγοντος, πιθανόν ἐστι. At enim erunt isti,  
qui, aliud agendo semel inspicientes Mythologiam, sa-  
pientissimos totius antiquitatis homines cum recta ra-  
tione ueluti insaniisse, opinantur, fabulasque ueterum  
omnes

omnes, nisi infelicioꝝ ingenioꝝ ineptias, nihil esse,  
 putant. Et uerum quidem est, poetas illis suauioꝝ  
 partim et amoẽnioreꝝ, partim admirandam atque  
 animos percellentem, orationem suam reddidisse, quod  
 scite, ut nosti, ostendit Hermogenes, hanc tamen ob  
 unam causam minime adhibitae sunt, sed merito ab  
 Eustathio, quem legisti, ἐννοῶν εὐγενῶν σμιαί, καὶ  
 περὶ πετὰ σμιατὰ appellantur. Nec falluntur illi eru-  
 ditorum, qui, ut docuisti, ueterum historiarum, cum  
 sacrarum, tum profanarum, uestigia in illis inquirunt,  
 modo sobrie ac cum debito temperamento id agant.  
 Quorum auctoritatem et merito laudasti, nec infelici  
 studio imitatus es. Abeant igitur, et cum antiquis  
 poeticae elocutionis magistris, ut de aliis fabularum  
 antiquarum interpretibus non dicam, rem conficiant,  
 quotquot eiusmodi figmenta perosi, poetas eo nomine  
 carpunt. Ego uero, Doctissime Vir, de comparata  
 apud nos limatioris doctrinae copia, Tibi uehementer  
 ac iure meo gratulor, Deumque immortalem etiam at-  
 que etiam rogo, uti maiora in posterum, quam a nobis  
 impertita sunt, uirtutis atque eruditionis praemia,  
 ab aliis cumulanda, curet. Dab. Vitembergae,  
 XVIII Calend. Iauar. Ann. clō lccc XXIV



72 Mar.

01 A 6670




5b.

VD 18

VJ 17

VD 18







64

QVOD BENE VORTAT

---

N I S V M

---

SAMSONIS SYMBOLVM

PRAESIDE  
FRIDERICO STRVNZIO  
POES. P. P. ET H. T. ORD. PHILOS  
DECANO  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBIICIT

A V C T O R  
IO. DAVID MATTHAEVS  
HANOVIA SILESIVS  
LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER

---

D. XX. DECEMBR. CIOIOCC XXIV  
IN AVDITORIO MAIORI

---

VITEMBERGAE  
LITERIS GERDESIANIS